



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. I. De Liberalitate.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

LIBER IV. REPETITIONIS ETHICORUM.

Argumentum libri quarti.

Cum sub finem precedentis libri summa genera virtutum moralium, nempe Fortitudinem & Temperantiam proposuisset: nunc deinceps in libro quarto singulas illorum generum species plenius, quamvis non admodum distincto ordine, persequitur.

CAP. I.

De Liberalitate.

Quenam virtutum moralium sunt species?

Virtutes signat tibi dictio ἀσεμμοπαροία. Singularis literis singularum Græcam appellationem exordientibus. Sunt enim præter summa genera undecim earum species:

Ἀνδρεία,	Fortitudo.
Σοφροσύνη,	Temperantia.
Ἐλευθερία,	Liberalitas.
Μεγαλοπρέπεια,	Magnificentia.
Μεγαλοψυχία,	Magnanimitas.
Ὁριζὶς ἢ πρῆξις,	Honoris iusta cupiditas.
Πραότης,	Manfuetudo.
Ἀλήθεια,	Veritas.
Εὐτραπλία,	Urbanitas.
Φιλία,	Amicitia.
Αἰδώς,	Verecundia.
Νέμεσις ἢ δίκη,	Distributio honorum.

Δικαιοσύνη

Δικαιοσύνη

Justitia.

Quanam ex his ad fortitudinem, quæ ad temperantiam referri possunt?

Temperantiæ species sunt; Liberalitas, Magnificencia, Honoris justa cupiditas, Urbanitas. Fortitudini verò subjici possunt, Magnanimitas, Mansuetudo, Verecundia. Utriusque communes sunt, Justitia & Amicitia. De illa autem agitur in libr. 5. de hac verò in libr. 8. & 9.

Quid igitur est Liberalitas?

Liberalitas est virtus in dandis accipiendis-que pecuniis consistens.

Quid intelligis nomine pecuniarum?

Omnes res quarum æstimatio ponderatur nimis.

Utrum autem in dando potius, an verò accipiendo consistit liberalitas?

Liberalitas magis in largitione, quam accipione versatur.

Quid est, cur ita putes?

Quia virtutis proprium magis est beneficia in alios conferre, quàm ab aliis accipere: Ergo liberalis quoque est, dare potius quibus dandum est, quàm accipere. Præterea gratia & laus, multo magis dantem, quam accipientem prosequitur: Major igitur in largitione laus liberalitatis

Ecquid liberalis beneficia interdum accipiet?

Accipiet unde æquū erit, ut ad largiendum suppetant copiæ.

Passimne omnibus largietur liberalis?

Nequaquam: sed dabit ac largietur honestatis causa, quibus & quantum, & quando dandum erit: ut præter Aristotelem Cic. in Offic. eleganter docet.

Quantum verò est aliis largiendum?

Pro ratione facultatum: Quamobrem etiã nihil prohibet liberalem esse & vocari eum, qui minora confert beneficia. Hanc ob causam in sacris literis, à Christo Lucae 21 comendatur magis egena vidua, quam omnes Scribae & Pharisei, qui ampliora dedissent munera.

Quis igitur vere liberalis?

Qui pro facultatibus in eas res, quæ præclaræ & honestæ sunt, pecunias profundit.

Quenam huic virtuti imprimis repugnant?
Avaritia & prodigalitas.

Qui dicuntur avari?

Qui nimio pecuniarum studio tenentur. Græcis φιλοχρηματοι, φειδωλοι, id est, parci & valde tenaces.

Suntne avari quoque putandi lenones, fœneratores, aleatores, fures & latrones, si a quo plura appetant?

Omninò: quia opes suas augere conantur repugnante ratione, & idcirco in sordido questu sunt occupati.

Anne Tyranni etiam, qui civitates oppugnant & diripiunt, avari sunt habendi?

Nequaquã: sed scelesti potiùs, impii & iniqui.

Prodigalitatem quomodo definiis?

Ea definitur excessus in effundendis pecuniis, Græcè ἀσωνία, ab ἀσωνος: hic enim dicitur prodigus, quod salutē suam negligens ipse per se pereat. Nam facultatibus inlumptis, vitam suam ampliūs sustentare nequit.

Uter melior est, avarusne an prodigus?

Prodigus certē minūs quā avarus culpabilis est.

Qua ratione hoc ostendis?

Prodigus omnibus prodest: avarus autem ne sibi ipsi quidem. Tam enim ipsi deest quod habet, quā quod non habet: Prodigus igitur anteferendus avaro. Adhæc prodigus facile ad salutem potest reduci, progressu ætatis & inopia coactus: Avaritia autem malum insatiabile: Prodigus itaque avaro melior.

CAP. II.

De Magnificencia.

Qualis virtus est Magnificencia?

Est virtus in sumptuum magnitudine decorum observans.

Ergone idem huius est quod liberalitatis subjectum?

Recte: Utraque enim in pecuniis cernitur.

Quomodo igitur hac virtus differt à liberalitate?

Ratione dumtaxat majoris & minoris. Liberalitas enim in exiguis: magnificentia autem in magnis sumptibus potissimum exercetur.